

uis alia schola; postquam doctos multos legissem doctorum libros, ad hunc solum me contuli, ex quo didici omnia quæ scribo scioq; vera, ac ita se habere. Fateor tamen esse longè plura quæ ignoro, suo tempore tamen emerfura, Deo dante. Nihil enim tam occultum, quod non reuelabitur quum volet Omnipotens. Hoc scio tamen post me venturum vnũ istius scholæ discipulum, qui nondum viuit, hic multa patefaciet.

De naturali dispensatore mineralium, & ministris eius. CAP. VIII.

QUÆMADMODVM in mineralium artificio per homines, ad ipsa cùm præparandũ, tum in vsum adducendum, non vnus tantũ, sed plures successiue requiruntur, eorum tamen vnusquisque peculiare donum habet officij. Quid enim prodest minera è terræ visceribus eruta, præter suum separatorem, præparatorem, aut liquefactorem? quid hic rursum absque fabro? nihil item iste potest absque aliquo emptore, nec iste præter eum qui metalla nouit in vsum